Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8250
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

SAPI

et sors in templo domini acceptissima. Bonorum enim laborum gloriosus est fructus. et quae non concidat radix sapienciae. filii enim adulterorum in consummacione erunt. et a semine thori semen exterminabitur. Et siquidem longe uite fuerint in nichilum computabuntur. et sine honore erit nouissima senectus illorum. et si celerius defuncti fuerint non habebunt spem. nec in die allocucionis. assumcionis. Iniquorum enim mala dure sunt consumacionis.

IIII

Quam pulchra es casta generacio cum caritate. Immortalis est enim memoria illius. quia et apud deum nota est. et apud homines cum presens est. Imitantur illam et desiderant eam cum seduxerit. et in perpetuum coronata triumphat. Incoinquinatorum certaminum premium vincens. Multigena autem impiorum multitudo non erit utilis. et spuria in tulamina. adulterine plantaciones non dabunt radices altas. nec stabile fundamentum collocabunt. et si in ramis in tempore germinant infirmiter posita auento commouebuntur. et a uiolencia tempestatum eradicabuntur. Infrangentur enim rami in consummacione. et fructus illorum inutiles. et acerbi ad manducandum et ad nichilum apti. ex iniquis enim omnes filii qui nascuntur testes sunt nequitie aduersus parentes in inquisicione sua. Iustus autem si morte preoccupatus fuerit in refrigerio erit. senectus enim uenerabilis est non diuturna neque numero annorum computata. Cani sunt autem sensus hominis. et etas senectutis inuita in maculata placens deo factus dilectus. et viuens inter peccatores translatus est. Raptus est. ne malicia mutaret intellectum eius. aut ne fictio deceperet animam eius. fascinacio enim nugacitatis obscurat bona. et inconstancia concupiscencie transuertit sensum sine malicia. Consummatus in breui explenit tempora multa. placita enim erat deo anima eius. propter hoc festinauit educere illum de medio iniquitatum. populi autem uidentes et non intelligentes. nec ponentes sunt in corde suo talia. quoniam gracia dei et misericordia est in sanctis eius. et respectus in electos illius. Condempnat autem iustus mortuus viuos impios. et iuuentus celerius consummata longam uitam iustorum. Videbunt enim finem sapientis et non intelligent quid cogitauerit de illo deus et quare illum dominus. Videbunt enim et con